Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

SVBSTITVTIONIS DIRECTAE ARGVMENTIS IN FORMVLA DVBIA,

QVAM,

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM FRIDERICIANAE ORDINIS,

PRAESIDE

IOANNE TOBIA CARRACH

I. V. D.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBIICIT

FRIDERICVS DE FREYBERG

EQVES POMERANVS.

DIE XXV. AVGVSTI MDCCXXXI.

H. L. Q. C.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS GRVNERTI, ACAD. ET SENAT. TYPOGR.

Q. D. B. V.

§. I.

Deplorandæ litium frequentia ex teſtamentis orientium.

Diffuſa & prolixa commentatio, qua in libris Iuris Iuſtinianei vltimarum voluntatum cauſæ traduntur, luculentum perhibet teſtimonium, quot tricis quantisque difficultatibus hoc vltimorum elogiorum argumentum impeditum ſit, quaque miſera ſollicitudine & anxietate, cum in condendis tum in diiudicandis teſtamentis Romani fuerint torti: nullum nempe cauſarum controuerſarum genus tam in libris elementariis quam ſyſtematicis tot legibus, quæſtionibus & reſolutionibus ſublimioribus caſuum ſubtiliorum, quin etiam diſcrepantibus, ob iurisprudentiam ſæpe mutatam, deciſionibus abſoluitur, quam poſtremæ hominum diſpoſitiones. Vtinam vero! conſpicerentur hæ moleſtiæ & difficultates tantum in libris Iuris Iuſtinianei, nec extra eos protuliſſent fines: vtinam! ne in ipſis rerum argumentis obuenirent, nec iudicia Germanica earum ſtrepitu perſonarent. At poſtquam Romanarum legum

ſcita in Germaniam penetrarunt, Germanique aſtutia cleri ac conſiliis imprudentibus leguleiorum vel certe eorum, qui Latii iura ad ſuperſtitionem vsque coluerunt, edocti ſunt, more Romanorum heredes ſibi ſcribendi; furor teſtamentarius adeo animos corripuit noſtros, vt vix quidam ſit, qui non pruritu laboret, extrema quadam diſpoſitione de fortunis ſuis legem poſt obitum obſeruandam dicendi, inani lactatus ſpe, fore, vt hoc modo lites auertantur. Fallitur autem egregie miſer iſte: vix enim animam reddidit, vix momentum iſtud ingruit, quo extremum elogium vires conſequi debeat, ſtatim litigia, quæ exſecrauerat quibusque moleſtiis teſtamentariis obuiam iuiſſe, ſibi perſuaſerat, acerrima exardeſcunt & pertinaci perſeuerantia ex vtraque diſceptantium parte per omnes iudiciorum gradus pertractantur, vsque dum pecunia emuncti & ſumtibus fatigati litigatores, tandem animaduertunt inane iam eſſe, quod captent, lucrum. Interim hoc modo litigatores fortunis ſpoliati, & ad incitas redacti, non ſolum in teſtatorem ſed etiam inuicem aduerſus ſe infenſiſſimi, odio implacabili accenduntur, adeo vt ciuis ciui, ii, qui arctiſſimo ſanguinis vinculo alias iuncti, ſibi inuicem, parentes liberis, hi illis infeſti hoſtesque clam palam exiſtant, ac turbæ ingentes in republica excitentur, ita vt ſatius ſit, exulare prorſus, e republica rem, quæ tantorum malorum fons & ſcaturigo, & per quam ſæpiſſime inimicitia, inuidia, vindictæ cupido, impio, quod dolendum eſt, prætextu inuocationis Diuini Nominis, maximo Chriſtianis dedecori, plerumque exercentur.

§. II.

Earum præſertim in Germania cauſæ ſunt præcipuæ obſcuritas voluntatis teſtatoris.

§. II. Huiusmodi litigia, quæ diſceptationum forenſium numerum non minimum conficiunt, non ſolum exinde oriuntur, quod formæ externæ iudiciorum defuncti ſolennitas, teſtatorisue & hæredum habilitas in dubium vocentur; ſed, his omnibus etiam rite peractis optimeque ſe habentibus, ſæpiſſime tamen ipſa voluntas legantium ſatis ambigua, inque iudiciorum ſuorum conteſtatione terminis æquiuocis ordinata, infinitis litibus anſam præbet. Equidem, ſi mentis morientium perſpicuam aut obſcuram declarationem conſidero, exiſtimo Romanos, etiamſi non omnino ab huius generis litibus vacui fuerint, longe meliori in hac cauſa vſos fuiſſe fortuna, quippe quibus teſtamenta ab antiquis temporibus familiaria fuerunt, &, dum iſtis maxime originem debuerunt, ſtatim a primordiis in vernacula inuenta & adornata terminis, omnibus maximam partem notis, concipi conſueuerunt. Si vero & hic aliquid dubii occurreret, directorum verborum figuræ, aſſidue obſeruandæ, certiorem ſignificatum habebant. Quin, plures ambiguitates diſcuſſæ ſunt immenſis legibus diſponentibus, qualis mens verbis fortunarum ſuarum iudicia condentium ineſſe cenſenda ſit; quales leges teſtamentorum & legatorum materia in Iuſtinianeo Iure plurimas comprehendit, ac totius Tituli *de Verborum Significatione* idem eſt finis. E contrario Germanicæ jurisprudentiæ hac in re deterior eſt conditio. Ignota nobis quondam teſtamenta, peregrinorum inuenta accommodataque idiomati inuentorum & amplificatorum, Latii itaque vocabulis adornata re-

 cepimus

cepimus temporibus denuo recentioribus, destituti verbis commodis, quibus exterum negotium distincte satis efferatur. Finxerunt & composuerunt quidem legum Romanarum periti vocabula, quæ ad negotium hoc peregrinum applicent; aut idiomatis Germanici vocibus, vsu probatis, in vltimis dispositionibus construendis vtuntur. Sed vtrumque infelici sane successu. Namque recentioribus istis commentis, vsu loquentium non comprobatis, adeoque disponentibus de facultatibus suis prorsus ignotis, neque testatorum sententiam satis rite explicant, neque his simulacris vim & efficaciam terminorum Latinorum exprimunt. Patrii vero sermonis vocabula aut inadæquate, cum vel latiorem vel angustiorem ambitum habeant, rebus iuris Romani applicant, aut secundum regulas linguæ Latinæ inepte interpretantur. Quo facto cum obscura redduntur morientium iudicia, vt vix diuinare liceat, quænam eorum sit sententia; tum ipsa eorum voluntas circumuenitur. Neque tamen in his difficultatibus instructi sumus tanto apparatu legum Germanica verba interpretantium, neque ICti verborum significationes commentationibus luculentam reddere tanto studio curarunt, quanto labore & industria, Latii doctrinis facem admouere, operam nauarunt; pauca enim sunt, quæ de hac re apud WEHNERVM, BESOLDVM, SPEIDELIVM, SCHOTTELIVM alibique occurrunt. Quid itaque mirum, si infinitæ & inextricabiles lites circa testamenta in foris conspiciantur; cum vix occurret vltima quædam dispositio, cuius mentem & intentionem am-

ambigua interpretatione eludendi, occaſio non adſit; cuius exemplum præſenti diſſertatione exhibeo.

§. III. Hac rerum facie operæ pretium eſt, ſi ICtus magis ſollicitus ſit, in explanandis formulis teſtamentariis Germanicis, iisque declarandis tum ex regulis interpretationis grammaticis & logicis, cum ex præſumta defuncti voluntate ſecretis iudiciorum poſtremorum eruendis, quam ſi ex legibus Latii eiusque dicendi genere unice ea diiudicare vellet. Idem eſt præſens meum inſtitutum, quippe hoc ſtudiorum academicorum documento eiusmodi ambigui elogii explicationis ſpecimen edere, apud animum conſtitui. Rem enim totam exhaurire & plurimos caſus euoluere, eſt grandioris voluminis opus; ſufficiat itaque, hac vice vnicum caſum exempli loco examinare circa ſubſtitutionis materiam maxime difficilem, & ſubtilem ſecundum vulgarem doctrinam ANTON. GOMEZ. *commentarior. variarumque reſolut. iur. ciu. tom. I. cap. III. §. 1.* EMANVEL SOAREZ *annotat. ad eundem locum lit. a.* qua de cauſa perperam me acturum, non ſpero, ſi eam ex parte in caſu quodam ſpecialiori disquiſiuerim. Eſt enim Præſidi ante breue tempus teſtamentum oblatum, in quo ita vltimum iudicium conditum erat his verbis: Und benelдeten Herrn Titium, und nach deſſen Abſterben ſeine Kinder, zum einzigen und vniuerſalen Erben, hiemit wolte inſtituiret und eingeſetzet haben. Quæſitum & diſputatum fuit, & adhuc in ſummo quodam tribunali diſceptatur, num his verbis contineatur ſubſtitutio directa an fideicommiſſum. Ideoque hanc ſubſtituendi formulam, a Præſide mihi propoſitam, perueſtigare conſtitui

Ideo curæ ſit ICtis interpretatio formularum Germanicarum: eius exemplum circa ſubſtitutionem hic ſiſtitur.

tui & tueri, eam tam in abſtracto & in genere plerumque, quam in caſu præſenti infra pluribus exponendo, ſubſtitutionem directam potius præ fideicommiſſaria ſignificare, expoſitis argumentis ſeu notis eas diſcernendi.

Ordo tractandorum.

§. IV. Quod, vt rite procedat, ſequenti modo abſolui poſſe exiſtimo, ſi ab initio præmittam explicationem & diuiſionem ſubſtitutionis quatenus huc pertinet, deinde regulas exponam, iuxta quas in genere hæ ſubſtitutionum figuræ a ſe inuicem diſcerni poſſint, easque poſtea applicem ad noſtram formulam & tunc quidem in ſpecie caſum, de quo mentionem feci, ſecundum eas examinem & diſcutiam, denique appendicis loco differentiæ vſum cautelamque circa hanc materiam adiiciam.

Quid ſit ſubſtitutio.

§. V. Subſtitutionis verbi notionem euoluens præmonere teneor, latiſſimum huius vocabuli in iuris arte patere ambitum, multisque rebus applicari: ſicuti apparet ex *l. 2. D. iud. ſolui. l. 39. §. 11. D. admin. tutor. l. 2. C. de tutor. qui ſatis non deder. l. fin. D. de appel. l. 14. §. 3. D. de ſolut. l. 16. D. qui potior. in pignor. l. 6. C. de non numer. pecun. l. 5. §. 7. D. iudic. ſolu: l. 3. §. 4. D. de alienat. iudic. mutand. l. 18. D. de vſufr. l. 69. eod. l. 15. D. ſi is qui teſtamento lib. eſſe iuſſ. aliisque:* vt itaque in ſenſu generaliori acceptum denotare videatur ſuppoſitionem in locum alterius. vid. COLLEG. IVR. ARGENT. *tit. de vulgar. & pupill. ſubſtit. §. 1.* CALVIN. *lexic. iurid. hoc verbo:* Verum omnes has ſignificationes enarrare & perquirere, compendioſa hæc tractatio non permittit, ſed ablego lectorem tam ad *cit.* COLLEG. IVR. ARGENT. & CALVINI *lexic.* quam ad EMANVELIS SOAREZ ***annot. in*** **GOMEZII** ***comment. ſ. varior. reſolut.***

tom.

tom. I. c. III. not. 6. ac PAVLVM LEONIVM *tract. de substitut. prælud.* Etenim ex dictis elucescit, eam tantum substitutionem hoc loco ad me pertinere, quæ in vltimis voluntatibus circa hæredis institutionem occurrit, reliquas a fine meo alienas mitto. Ista illa ICtis est secunda hæredis institutio, vti dicitur a PAVLO *in l. 43. §. 2. D. de vulg. & pupill. substitut.* CAIO *in instit. lib. II. tit. IV. pr.* CICERONE *de inuent. II. 21. & pro A. cluent. XI.* adde GIPHANII *comment. ad instit. tit. de vulg. subst. pr.* STRVV. *syntagm. iur. ciu. exercit. XXXIII. th. X.* quam descriptionem defendit BACHOVIVS *ad* TREVTLERVM *volum. II. disp. XI. thes. V. lit. A. B. C.* GOVEANVS *in prolegom. ad tit. D. de vulgar. & pupillar. subst.*

§. VI. De diuisione & speciebus huius substitutionis, in vltimis iudiciis & præcipue testamentariis vsitatæ, mirifice quidem inter se disceptant ICti, quorum quidam plures alii pauciores agnoscunt species. Verum hæc dissidia parum curo, vtpote ad ea tantum attentus, quæ ad propositum finem, explicationem scilicet formulæ supra §. 3. relatæ, & ad dubia inde resultantia, faciunt, discutienda: reliqua qui appetit, adeat præter citatos *ICtos* COLLEG. IVRID. ARGENT. *cit. loc.* §. *3.* HILLIG. *ad* DONEL. *6. comment. cap. 23.* HERMANN. VVLTEI. *ad inst. comment. tit. de vulg. substit. ad pr.* HVNNII *resolut. iur. ciu. lib. II. tractat. VI. quæst. III.* GIPHANIVM *cit. loc. &* SOAREZ. *cit. loc.* Id circo hac vice mentio tantum facienda trium specierum, quas concipere solent, huc pertinentium, nempe substitutionis directæ, obliquæ seu precariæ, id est fideicommissi, & compendiosæ.

De speciebus substitutionis.

§. VII.

De directa, fideicommissaria & compendiosa substitutione.

§. VII. Directa seu propria substitutio est secunda hæredis institutio, verbis directis & ciuilibus facta, GIPHANIVS *cit. loc.* si scilicet eam consideres ex scriptis ICtorum istius temporis, quo verborum directorum & obliquorum adhuc esset differentia; ea vero cessante, dici poterit secunda hæredis institutio, quæ ita facta, vt loco prioris hæredis, secundus directe i. e. recta & immediate a testatore & ex nullo alius personæ interpositæ munere hæreditatem accipiat. Conf. LVDOVICI *doctrinam pandect. tit. de vulg. & pupill. subst. §. 2. &* HVNNIVM *cit. q. III.* Directa subdiuiditur in vulgarem & pupillarem, hanc mittam, illa ad me tantum pertinet, vt per se liquet ex quæstione §. 3. proposita, quæ circa dubiam nostram formulam prolata est, atque dicitur ista, quæ fit a quocunque testatore cuicunque hæredi eum in casum, si prior institutus hæres non fuerit: *pr. Instit. de vulg. subst.* Obliqua seu precaria substitutio est, quæ fiebat verbis obliquis seu precariis GIPHAN. *cit. loc.* vel ea, qua testator hæredi iniungit, vt hæreditatem, quam adiit, alteri vel totam vel pro parte restituat, id est ipsum fideicommissum: vid. DD. *ad tit. D. ad SCtum Trebell.* Denique superest compendiosa, qua hæres substituitur in quemcunque casum siue hæres prior hæres fuerit, siue non, & quandocunque decesserit, siue ante siue post hæreditatem aditam. Conf. STRVV. *syntagm. iur. ciu. exerc. XXXIII. thes. XXXIIX. & XXXIX.* IDEM *in obseruat. ad* ANTONII MATTHAEI *tract. de success. c. 7. q. 19.* His præmissis opus est, ut expendam, ad quam substitutionum recensitarum speciem formula, quam accepimus, pertineat. At, cum omnes ICti fateantur

teantur

teantur, compendiosam substitutionem tantum esse priuilegium militum, aut in paganorum testamentis demum fideicommissi iure valere posse. STRVV. *cit. locis*. hinc sufficiet, si tantum disquiram, an formula comprehendat directam vulgarem an fideicommissariam. Ideoque ante omnia breuibus exponam regulas, quibus vti possumus in genere, in substitutionibus inuestigandis.

§. VIII. Sunt autem interpretandi regulæ, quibus legitima scientia instructa est, duplicis generis, vel enim vtimur communibus, quæ in omnibus orationum speciebus explicandis adhibendæ, vel propriis, seu quæ in iuris arte, & quæ præsertim in hac vltimarum voluntatum dispositione, adeoque in præsenti casu, attendendæ veniunt. Vt in neutro officio meo desim, delibatis primariis communibus interpretandi axiomatibus ad præsens institutum necessariis, ea in medium proferenda, quæ iurisprudentiæ propria, & vel ex prioribus, vel ex principiis legum deriuata sunt.

De regulis has species inuestigandi.

§. IX. Nimirum continentur postremis elogiis dispositiones cum recta ratione ideo prolatæ, vt audientibus aut legentibus animi sensum exponamus, sunt enim iudicia, quibus quis de futuro fortunarum suarum hærede voluntatem extremam declarat: id circo, cum eundem in finem in his, sicuti in aliis scriptis, vtamur verborum auxilio; sequitur, vt & primo communes sermonem interpretandi regulas obseruandas esse, & ratio & leges iubeant *argum. l. 3. D. de rebus dubiis l. 7. §. vlt. D. de suppellect. legata*. Hinc I.) ab initio notandum est, quod plerumque in quo-

Regulæ communes eadumque primæ;

cunque

cunque sermone, qui ex recta ratione proficiscitur & cum iudicio profertur, quodcunque verbum specialem rem denotet, adeoque separato significatu gaudeat. Quæ obseruatio quoque apprime vtilis est in artificialibus, in artibus enim terminis maxime vtimur, vt distincte & in compendio quodcunque aliis manifestum facere possimus. Quamobrem, in testamentis diiudicandis, opportet accurate attendere separatum cuiusuis vocabuli & termini, atque hoc l o substitutionum ac fideicommissorum formulæ si ni ficatum, neque, temere quemque aliquid esse fatum, sibi facile persuadere.

Regula IIda euitandam esse confusionem verborum.

§. X. Ex his statim II.) infero, non facile nec sine euidentia contrarii ita esse instituendam interpretationem, sicuti in aliis scriptis & dictis ita nec in testamentis, vt vocabulorum aut terminorum confusio inde oriatur, incertaque prolati videantur significatione, nunc hoc nunc aliud denotante.

Regula IIItia præsertim in terminis ab artifice prolatis.

§. XI. Multominus autem III.) tale quid admittendum circa terminos artificiales in scriptis secundum artem istam compositis ab eo, qui peritus in arte est. Namque alias auctori imputandum esset, ac si, quicquid in os quicquid in buccam venisset, sine ratione & absque iudicio protrusisset; quod tamen neutiquam præsumendum; præsertim de eo, qui artem, de qua agitur, optime callet, qui alias adhuc diligentior & accuratior esse solet in verbis faciendis. Exinde etiam apparet, in testamentis, præcipue istis, quæ ab eximio ICto, eoue interprete, condita sunt, sedulo ad hanc regulam respiciendum, neque temere verba, quæ substitutionem comprehendunt directam

vulga-

vulgarem, aut quibus ea efferri a ICtis solet, ad fideicommissariam, vel vice versa, detorquenda esse.

§. XII. E contrario IV.) potius auctor quispiam censendus est constans in vsu verborum, præcipue qui in ea disciplina versatur, in qua se artificem profitetur. Vtut enim homines non adeo semper curent potestatem verborum, iisdemque non usque eodem sensu vtantur; id tamen non sine ratione præsumendum est; de qua re commode secundum *cit. l. 7. §. vlt. D. de suppellect. leg.* ratiocinatur COLLEG. IVRID. ARGENTOR. *tit. de reb. dub. §. 3.* Inprimis autem hæc de artifice iterum valent.

Regula IVta quod quisque constans in vsu verborum præsumendus.

§. XIII. Et quidem V.) proprietas verborum ante omnia attendi debet *l. 69. de legat. 3.* STRVV. *syntagm: iur. ciu. exercit. XXXV. thes. LXXXV. thes. LXXXVII.* nec sine euidente necessitate ab ea recedendum est; nisi is, qui aliquid commodi exinde prætendit, quod asserat, testatorem alio sensu vocabulum vsurpasse, id perspicue probare queat *l. 34. §. 3. fin. D. de legatis. 2. l. 8. D. de supellectile legata.* Quo non probato, plus valet scriptura, quam peractum esse a testatore, alter adstruere conabatur. COLLEG. IVR. ARG. *cit. loc.* Sic quoque in substitutionis materia verba, quæ proprie denotant hæredis institutionem, non sine prægnante ratione accipienda pro sunt fideicommisso, sed potius pro directa vulgari substitutione: vtpote si testator de eo, de quo quæritur an substitutus an fideicommissarius sit, dixisset: Er wolle ihm zum Vniuersal-Erben instituiret haben.

Regula Vta de proprietate verborum attendenda.

§. XIV. Quodsi vero de proprietate quantitate ac qualitate vocabuli contentio oriatur, eaque

Regula VIta de communi vsu loquendi.

 dubiis

dubiis obnoxia ſit; in ambiguo ſermone non vtrumque dicimus, ſed id duntaxat, quod volumus *l. 3. pr. D. de teſtibus dubis.* & quæ ex his, quæ ſignificantur, ſenſimus *l. 125. D. de V. S.* Quæ hoc modo erui poſſunt, ſi VI.) rite perpendas verba, quæ ſententia ipſis ex communi vſu loquendi inſit; ea enim ſane præualere debet, quæ plerumque per eam vocem exponi ſolet; cum idem eſſet, ac ſi quis loqueretur ſine voce aut voce non articulata, qui ea vteretur alio ſignificatu, quam qui vulgo receptus. Hoc caſu autem reſpiciendum etiam eſt primario ad iſtam ſententiam, quæ cum vſu loquendi iſtius regionis & loci conuenit, quo degit is, cuius verborum mentem inueſtigas. *l. 50. §. f. D. de legat.* 1. STRVV. *cit. loc.*

Regula VII. de contextu. §. XV. Attamen, cum primario ſolliciti eſſe debeamus de mente & voluntate autoris, quam nobis explicare verbis voluerit, ita vt in teſtamentis voluntatem teſtatoris prædominari & tanquam reginam primum locum obtinere, ad vnguem obſeruari & ex circumſtantiis coniici oportere adſtruant ICti *vid.* IOH. *de* CASTIL. *tract. de coniectur. vltim. voluntatum c. 18. n. 1.* MENOCH. *conſil. 97. num. 25.* & alii recenſiti in TABORIS *theſ. loc. verb. voluntas:* ea propter opus eſt VII.) ſumma induſtria perſcrutari conſenſum & ordinem verborum, qualemque ambigui vocabuli valorem admittant ea, quæ præcedunt ac quæ ſequuntur. *l. 50. §. fin. D. de legat.* ne eam teſtanti adfingamus ſententiam, quæ ipſi in mentem nunquam venit.

Regula VIII. de obiecto orationis. §. XIV. Præterea VIII.) etiam ſedulo conſideres ipſam rem, de qua ſermonem inſtituit autor, pro diuer-

diuersitate nimirum obiecti seu negotii, de quo agitur, diuersa quoque explicatione indigent voces: eam itaque præferas reliquis, quæ ad negotium, circa quod versatur proxime accedit, eique aptior est. Ex quibus efficitur, verba esse intelligenda pro substitutione directa magis quam fideicommissaria, quæ testator vno halitu cum eadem formula, qua hæredem instituit, profert, quippe substitutio directa potius pro institutione habenda eique magis accedat quam fideicommissum; si modo alias ista verba tale quid denotare possint.

§. XVII. Porro IX.) diiudicanda quoque verba ex singulari autoris vsu, & quidnam alias in pari causa eiusmodi sermone significare solitus fuerit. Attendas ergo idem in eruenda voluntate vltima de substitutione & fideicommisso; vid. *cit. l. 50. §. fin. l. 7. §. fin. de suppellect. legat. l. 32. §. 2. de auro argent. legat.* STRVV. *cit. loco:* Quodsi itaque ea formula legasset testator, qua apparebit eum antea vel in eodem vel priore testamento substitutionem directam constituisse, aut ordinauisse, qui lucrorum testamentariorum particeps esse debeat, eo casu, si is, cui ista dedisset, ante mortem ipsius testatoris animam reddat, vel alia de causa eorum compos fieri non possit; sane tunc nihil aliud coniiciendum erit, quam & altero loco idem iisdem verbis innuere eum voluisse; nisi manifeste contrarium aliunde adstrui possit. Plane procedit id, si testator vel ipse vel eiusdem personæ auxilio talia verba effatus sit, quibus antea substitutionem directam ordinauerat. Quod vt adhuc clarius elucescat, maxime conducit, eum qui defuncti interpres voluntatis fuit, iureiurando con-

Regula IXma de speciali autoris vsu verborum.

ſtrictum explorare, quæ defuncti fuerit intentio, quo modo eum ipſe intellexerit, adeoque quidnam verbis ſuis ſignificare voluerit.

Regula Xma de intentione fine &c.

§. XIIX. Deinde X) nequaquam negligendæ ſunt aliæ præſumtiones vrgentiſſimæ ex aliis circumſtantis præter verborum compagem reſultantes, vt pote quidquid ex intentione & fine, ex amore & gratia, ex cauſa impulſiua autoris eliceri poterit. Hæc enim omnia, ſicuti ſemper plurimum adferunt ad interpretationem rite inſtituendam, ita quoque hoc loco multum ipſis tribuendum. Quin ſuppeditant hæc regulas quasdam huic interpretationis ſpeciei præ aliis apprime commodas, præſertim ſi coniungantur cum obſeruationibus iam iam prolatis & ſubſiſtutionum deſcriptionibus. Merito itaque ex iis quasdam obſeruationes addam, quibus ambiguitates tolli poſſunt.

Regula XIma de fine.

§. XIX. Nimirum tunc vero ſimilius eſt, XI.) oratione ambigua comprehendi directam vulgarem ſubſtitutionem, ſi apparet, teſtatori nihil magis curæ cordique fuiſſe, quam certiſſimum ſibi exiſtere hæredem ex teſtamento, & ſuccedentes ab inteſtato bonorum ſuorum exſortes eſſe, anxie voluiſſe; quæ vt rite cognoſci queant, neceſſe eſt ſedulo ex antecentibus & conſequentibus intentionem teſtatoirs perquirere.

Regula XII. & XIIItia de cauſa impulſiua.

§. XX. Aſſertum meum XII.) eo magis extra dubitationem poſitum, ſi contenta teſtamenti prodant, teſtatorem metuiſſe, ne hæres principalis inſtitutus, turbato mortalitatis ordine, ante obitum teſtatoris morte emedio tollatur, eumque alias etiam aliquoties in eundem euentum rebus ſuis dixiſſe legem

XIII.

XIII.) Plane rectiſſime ſe hæc habent, ſi prorſus diſpoſitioni vltimæ occaſionem dederit mors hæredis antea ſcripti, qui ante fata teſtatoris diem extremum obierat; ſiue ex ipſo teſtamento, ſiue aliunde de eo conſtet.

§. XXI Idem arbitor XIV.) de tali ſubſtiſtutione, quæ ita ſe habet vt pater quidam ob ſingularia beneficia, quæ in teſtatorem contulit & ex huius ſingulari amore, hæres ſcriptus, liberis ſuis ipſi ſuppoſitis, eo tamen modo, vt nullatenus defunctus declarauerit, vt in perpetuum apud poſteros aut familiam inſtituti hæredis bona eius aſſeruentur, quod præprimis tunc non eſt credendum ſi ad ſubſtitutionem omnes liberos, nulla ſexus habita ratione, vocauerit. vid. BESOLD. *conſult. p. VI. conſ. CLVI. Q. II. n. 60. 61.* Sane hinc nihil colligi poterit, quam fuiſſe ſeriam & enixam defuncti voluntatem, vt in compenſationem beneficiorum, certiſſime aut ad ipſum, qui ea præſtitit, aut ad eius liberos, patre forſan deficiente, bona perueniant. Nulla vero ratione exinde fideicommiſſum in liberorum fauorem eliceri poterit, præſertim cum iam per ſe, ordine ſucceſſionis inteſtatæ, bona conſequi poſſint: adeoque tantum alienatio patri reſtricta fuiſſet, quam tamen in liberorum detrimentum ſuſcepturus iam per naturalem amorem non eſt cenſendus; vt itaque fideicommiſſum ferme redderetur otioſum. **Regula XIVta de amore teſtatoris.**

§. XXII. Ingens denique pondus ineſt XV.) argumento, quod ipſa ſubſtitutionis directæ & fideicommiſſariæ definitio & differentia adfert. Namque ex §. 7. liquet, directam ſubſtitutionem eſſe, in qua ſubſtitutus bona defuncti immediate ab ipſo nulliusque **Regula XVta ex definitione.**

que alterius interpositæ personæ ministerio percipit, fideicommissum vero requirere aliam interpositam, quæ primum immediate a testatore bona accipiat, eaque demum suo facto fideicommissario restituat. Sequitur facile, directam substitutionem eam esse intelligendam, quæ iis concepta verbis, quæ talem restitutionem & interpositæ personæ fiduciariæ ministerium non indigitant, sed potius demonstrant, immediate & recta via ex defuncti manu hæreditatem ad subordinatum pervenire debere *vid*: WAGNERECK. *comment*: *ad decretal*: *in c. 1. de testament*: *6to*: *not*: *11*. GOMEZ: *cit*: *loc*: *T. I. C. III. §. 5. & 15*. Huc quoque referenda esse verba: zu meinen Vniuersal-Erben instituiren, & ratio & proprietas verborum suadet, maxime si secundum obseruationes, quas §. 10. & seqq. accepimus, examinentur, æque pro circumstantiis obvenientibus locum habere possint.

Regula XVI. quid leges disponant.

§. XXIII. Tandem XVI.) ultimo loco adhuc moneo, non solum iuris autoritate sed etiam communi ICtorum consensu regulam valere: in testamentis potius intelligendam esse directam substitutionem in ambiguo, quam fideicommissariam, e contrario, codicillis factam, magis esse fideicommissum. Quod nonsolum ideo ratione optima nititur proverbium, quia leges volunt, ita esse interpretanda dubia, ne hæres admodum oneretur argum *l. 1. D. de reb. dub. l. 4 §. 1. 2. l. 137. §. 2. D. d. V. O. l. 17. d. de R. I.* verum etiam, quod hoc axioma sponte fluat ex thesibus iam iam deductis & demonstratis, præcipue ex *§. 15. 16. 19. &c. vid. c. 1. de testament*: *in 6to. argum. l. f. C. de hæred.* PERILLVSTR. *de* LVDOLFF. *obseruat. forens. obseruat. XL.* STRYKIVS *in*

Vsu

Vſu Mod. tit. de vulg. & pupill. ſubſtit. IDEM *de cautel. teſtam. c. 18. m. 1. §. 5.* GOMEZ *cit. cap. §. 4. 5.* DIDACVS COVARRVV. *ad cap. Raynald. 18. §. 1. X. de teſtament. num. 8. & ad cap. Raynutius 16. §. 9. eodem n. 26. 27.*

§. XXIV. Iam iam paucis principia, quæ tradidi, ad dubiam formulam, quam ſupra in medium protuli, applicanda ſunt; eorumque ex contemplatione & cum verbis collatione luculenter directa ſubſtitutio apparebit. Quodſi enim hanc formulam conſideres ſecundum Imam, IIdam, IIItiam & IVtam obſeruationem, ſtatim videbis, probe diſtingui ſolere cum in ſermone vulgari, tum ſi quis ex regulis artis ſcribat, vocabula quæ directam hæreditatem denotant ab iis, quibus fideicommiſſum vel legatum effertur, namque illa plerumque **erben, Erbe,** hæc vero **Vermächtniß, vermachen, bekommen, kriegen, herausgeben, abtreten** &c. dicuntur, quemadmodum etiam inde deriuatum **Erbfall** hæreditatem deſignat non fideicommiſſum. vid. WEHNERI *obſeruat. pract. voc.* **Erbfall.** Ideoque non temere præſumendum eſt, verba iſta confuſe & promiſcue eſſe vſurpata *per §. 10.* Primario hoc obtinet, ſi huic verbo additum ſit: Vniuerſal-**Erbe, zum** Vniuerſal-**Erben** inſtitui**ren,** quæ verba nil niſi directam hæredis inſtitutionem continent: imo ipſe textus *cap. cit. 1. de teſtamentis in 6to* eodem modo verbum: inſtituere, explicauit. Quomodo enim alius proprius ſignificatus verbis illis ineſſet; cum tamen eiusmodi vniuerſalibus teſtamentariis fideicommiſſis Germania olim caruerit, vid. ILLVST. A LVDEWIG *opuſc. de Trebell. & legitim. exul. in fideic. fruct. c. 3. §. 4. not. hh.* verbum **Erbe** & **erben** autem antiquis temporibus

Applicatio regularum ad formulam dubiam.

poribus nobis fuerit familiare. Etsi quidem fatear, sub Erbe erben non semper a nobis indigitari hæredem vel hæredem institutum, sed latiorem aliquando esse verbi ambitum, & quemcunque denotare, qui quouis modo ad bona defuncti peruenit. Verum consideres quoque, quæso! aliquando & strictiorem eiusdem termini esse significatum: quemadmodum autem ideo non potest regula construi, ac si id ordinarie locum haberet, itaque neque ex aduersa parte perpetuum axioma fingere licebit; multo minus valebit præsumtio, ac si plerumque ita confuse loqueremur, præsertim vbi oratio quædam præmeditate & de industria instituitur, vti certe in testamentis fieri solet. Namque tum demum ista admittenda interpretatio, si substrata materia aliaue ratio id exigat, atque alias verba efficacia destituerentur. Adsentit in specie circa hanc fideicommissariam causam WEHNERVS *cit. loc.* Deinde neque solum vocabulum Erben, sed simul tota phrasis zum Vniuersal-Erben instituiren, inspicienda, alterum enim verbum alterius qualitatem clarius determinat; alias autem diuellendo ea, quæ naturali nexu iuncta sunt, facile in iniquam sententiam verba detorquentur. *per* §§. *9. 10. 11. 13.*

Applicatio principii VIti VIImi & VIIIui. §. XXV. Reliqua etiam substitutionis directæ argumenta, præter iam monstrata, offendes in nostra formula, si modo eam conferas cum positione VIta VIIma & VIIIua §§. 14. 15. 16. exposita. Vsui quippe loquendi propius accedit, si verbis: Titium und nach seinen Absterben seine Kinder, zum einzigen und Vniuersalen Erben hiermit instituiret und eingesetzet haben, is credatur inesse sensus: Ich will Titium, und daferne

ferne er sterben solte ehe er Erbe geworden seine Kinder, zum Vniuersal-Erben instituiret haben, quam si explicetur: Ich will Titium zum Erben eingesetzet haben, aber nach seinen Tode, wenn er gleich Erbe geworden, sollen meine Güter auf seine Kinder fallen, oder soll er meine Güter seinen Kindern geben. Quantis enim ambagibus hæc eliceri deberent, cum tamen prior explicatio longe planior sit; at quis consueuit tam prolixam orationem tam obscure & implicite proferre? quis vellet sententiam de hæreditate alicui restituenda exponere per formulam: zum Vniuersal-Erben einsetzen? Adstipulatur huic interpretationi vsui loquendi conformi sententia ICtorum Helmstadiensium apud CELEBERRIMVM DNVM LEYSERVM *in meditat. ad Pandect. specim. CCCLXII.* §. *1.* qui pari modo explicarunt formulam: Im Fall meine Schwester (hæres) das Licht dieser Welt abstünde, alsdenn und auf den Fall ihre Kinder meine Erben und Folger auch sein und bleiben sollen; item: Da auch folgends dieser Kinder eines oder mehr ohne Leibes-Erben mit Tode abginge, will ich, daß dessen oder deren Theil meiner Güter den andern überlebenden anfallen und folgen soll. Quin casus, quem disquiro, & tota eius formula tot verbis, quot hoc loco occurrit, continetur & secundum nostram sententiam decisus est iamiam *cit. c. 1. si pater. de testamentis in 6to.* in quo itidem talis refertur institutio: qua, si instituti decedant sine liberis, pauperes instituti sunt. Neque a sententia mea deturbor, quod simpliciter in formula nostra dicatur, nach seinen Absterben, sine additione vor mir, vel ehe er Erbe worden. Nam si hæc fuerint addita, dubium nullum adesset, sed stolide prorsus interpretatione

quadam nodus in scirpo quæreretur. At cum omissa sint, opus est, mentem indagare secundum interpretandi regulas. Quo facto iuxta normam VII. §. 15. & VIII. §. 16. cum ex verborum consensu tum ex obiecto suppleri debent verba omissa vel **vor mir** vel **ehe er Erbe worden**, quoniam in media hæredis institutionis formula vnoque & eodem halitu hæc substitutio comprehensa est; sicuti in pari causa ICti Helmstadienses *cit. loc.* pronunciarunt. Pariter me non mouent, quæ FRANCISCVS MARZARIVS *tract. de fideicom. part. II. Quæst. 24.* ex CVRT. IVN. *conf. 48. num. 4.* affert de dictione: *post eum*, & *post eorum mortem*; quæ fideicommissum ideo indicet, cum tractum successiuum temporis inducat. Hoc dubiolum nimirum non solum per se iamiam corruit ob antea deducta, verum etiam a DIDACO COVARRVVIA *ad cap. Raynutius, 6. §. 9. n. 2.* remotum est, quod non tractus temporis, sed aditio & non aditio hæreditatis, substitutionem directam vel fideicommissariam constituat, eamque discernat. Imo pariter dubium est, num iste tractus temporis qui in verbo: **nach**, latet, durare debeat tantum tamdiu, quam hæreditas nondum adita est, vel etiam post aditam hæreditatem, vt itaque iterum opus sit confugere ad prædicta axiomata, nisi dubiola leuiora rationibus magis obscuris & dubiis grauioribus extricare vel potius implicare animus sit.

Applicatio regularum interpretandi propriarum ad formulam.

§. XXVI. His omnibus accedunt obseruationes XV & XVI. substitutionis directæ signa apertissima, de quibus §. 22. & 23. egi. Si enim exinde repetas, toties adesse substitutionem directam, quoties immediate a testatore substituto bona obuenire debe-

debeant; ſi memor ſis, verba: zu meinen einzigen Vniuerſal-Erben inſtituiren und einſetzen, nihil denotare, quam immediatam bonorum defuncti ab eo ad hæredem translationem, nullumque complecti perſonæ intermediæ miniſterium & reſtitutionis factum; ſi ea amplius animo agites & regulis §. *10. ſeqq.* imo & §§. *24. & 25.* ea omnia totidem circumſtantiis & ſyllabis in formula noſtra, qua teſtamentum confectum eſt, accurate offendes. Non poteris itaque non colligere, formulam iam iam diſputatam regulariter habendam eſſe pro ſubſtitutione directa. Eaque ſufficere poſſunt in compendio indicaſſe, quæ ſint primaria ſubſtitutionis huius argumenta & notæ, & quomodo ex iſtis formula noſtra dubia alias in genere applicari poſſit.

§. XXVII. Reſtat vt ipſum caſum ſpecialem, in quo verba hæc dubia occurrebant, & qui, vt ſupra monui, huic diſſertationi occaſionem præbuit, ſecundum reliquas poſitiones, ad ſpeciales caſus magis accommodatas quam ad generalem deciſionem, adhuc pauciſſimis conſiderem. Iſte ita ſe habet: Condiderat Sempronia teſtamentum prius, interprete ICto eximio, in hoc inſtituit hæredem Meuiam pro ſemiſſe, filio ipſius Meuiæ ipſi directe ſubſtituto; in altera parte inſtituit VI. hæredes. Poſtea autem teſtatrix in mentis deliquium labitur, ſed reſipiſcens Meuia autem ea adhuc ſuperſtite demortua, poſterius condit teſtamentum iterum ICti celeberrimi ope, hoc modo: Weil ihr unvergeſſen wäre, welchergeſtalt ihr vielgeliebter Herr Vetter Herr Titius ihr in ihren bisherigen ſchlechten Zuſtande alle erdenckliche Narratio caſus.

 Liebe

Liebe und Güte erwiesen, indem sie so wohl bey dessen Frau Mutter, als ihrer Schwester, Lebzeiten, als auch nach deren Tode, bey mehr gedachten Herrn Titio jederzeit bestens verpfleget und versorget werden, so daß derselbe viel Mühe und Verdrüßlichkeit ihrenthalben ausstehen müssen, sie auch zu der Zeit, da sie ihr erstes Testament gemacht, nicht gedacht, daß sie ihre Schwester überleben, und nach deren Tode so lange Jahre bey gedachten ihren lieben Vetter Herrn Titio solte versorget werden. Als wolte sie hiemit solches ihr ersteres Testament solcher Ursachen halber wohlbedächtlich dahin geändert haben, daß weilen besagter massen vorbemeldeter ihr Vetter Titius sich ihrer allein angenommen, derselbe aber nur in besagten Testament auf der Halb-Scheid ihrer Güter darin instituiret wäre, sie was die andere Helffte derselben betreffen, ihre vorige Einsetzung und Vermächtniß hiemit wolte revociret, und bemeldten Herrn Titium, und nach dessen Absterben seine Kinder, zum eintzigen und vniuersalen Erben hiemit wolte instituiret und eingesetzet haben ꝛc. Obiit deinde diem supremum testatrix; Titius autem hæredem adiit, eoque defuncto, superstes eius coniux cum ex communione bonorum ibi vigente tum ex dispositione Titii bona hæc, tanquam Titii mariti propria, post liberorum directam substitutionem per patris aditionem exstinctam, possidet: at Titii gener nomine vxoris suæ a socru hæreditatem fideicommissi prætextu exigit.

Applicatio reliquorum substitutionis directæ argumentorum

§. XXIIX. Meo iudicio actoris intentio non est fundata. Sane si secundum argumenta omnia quæ supra demonstraui non solum in thesi generaliore & in abstracto rem considerem, nil nisi directam substitutionem

tutionem ordinatam esse, latius iam deduxi. At si specialiores notas nempe IV tam §. 12. IX nam §. 17. X & XImam §. 18 & 19. XIImam XIIItiam & XIVtam §. 20 & 21. ad eum applices, expedita mihi videtur directæ substitutionis sententia. Construxit nonsolum hoc testamentum solidus ICtus, qui summa diligentia & constante usu tam in posteriore quam in priore testamento institutionem & legata aliasque dispositiones distinxit verbis: Einsetzung, einsetzen, und Vermächtniß, vermachen, verehren, verschencken, &c. idque non una vice, sed multoties, constante tamen semper & uniformi vsu. Monstrant etiam prioris testamenti contenta, non nisi proprio & directo significatu testatricem usurpasse verba: Erben instituiren und einsetzen *prioris testam.* §. dieweil unterdessen; *verba:* dieweil unterdessen die Einsetzung des Erbens eines jeden Testaments fürnehmstes Stück ist, will ich zu meinen wahren wesentlichen Erben meine gelibte Schwester Meviam, und daferne sie vor meinen Absterben Todes verfahren solte, ihren Sohn Titum auf die halb Scheid meiner Güter instituiret und eingesetzet haben. Ita enim in priori testamento §. Dieweil unterdessen, postquam diuersis vicibus iam iam directe substituerat cum legatariis quibusdam tum hæredi ex semisse Meuiæ his verbis substituit und daferne sie vor meinen Absterben Todes verfahren solte, eandemq; substitutionem, post reliquorum institutionem, ipsis his verbis repetiit, quibus in posteriore testamento vsa est, nimirum: So daß die Helfte meiner Güter auf meine Frau Schwester Meviam oder nach deren Absterben auf ihren Sohn Titium, die andere

Helfte

ad casum istum.

Helfte aber auf meiner seeligen Schwester N.N. sechs Kinder heim und verfallen soll. Imo statim eandem formulam separata periodo iterum testatrix interpretatur: Daferne auch wieder verhoffen vor meinen Absterben meine Schwester Meuia diese Welt verlassen würde, so soll deren Sohn Titius an ihre Stelle zu meinen Erben eingesetzet seyn, und mich also, wie oben berühret, in die Helfte meiner Güter beerben. Idem occurrit in legato vestium §. der Kirche rc. Deinde ex his, imo ex aliis eiusmodi substitutionibus, quas in legatis ordinauerat priore testamento, nec non exinitio posterioris testamenti, quod recitaui §. anteced. nihil magis curæ fuisse testatrici, quam vt certissime eius voluntas adimpleatur, & vt ordinet, quid fieri debeat de rebus suis, si hæres quidam institus, vel etiam si legatarius quidam ante eius mortem diem supremum obiret, aut hæreditatem vel legatum non adiret. Luculenter itaque ex tot recitationibus patet, metuisse testatricem, vt forsan hæres iterum ante eam spiritum redderet: apparet clarissime ex principio posterioris testamenti, eundem hunc mortalitatis turbatæ casum & beneficia ab hærede posterioris testamenti Titio in eam collata eorumque remunerationem causam dedisse posteriori testamento, atque testatricem ideo voluisse, vt Titio vel certe eius liberis bona obtingant; qua in re nihil tamen de fauore & voluntate conseruandorum bonorum in familia Titii nec monuit nec cogitauit, dum Titio liberos indistincte substituit; inter quos cum sit filius & filia, per hanc bona tamen ex familia alienentur & non conseruentur, de conseruatione bonorum in Titii familia nullum vestigium reprehendo. Quæ omnia latius conferas cum

axio-

axiomatibus citatis ex *§. 12. 17. 18. 19. 20 & 21.* Quin quid opus est verbis? vbi rerum testimonia adsunt, ipsius namque testatricis planam interpretationem formulæ huius dubiæ in hoc §. audiuimus. Hinc plura pro eius declaratione addere superuacaneum esse existimo.

§. XXIX. Tantummodo per spatium temporis exiguum paucissima adhuc attingam, præter ea quæ iamiam passim destruxi, de primariis obiectionibus, quas forsitan quisquam obmouere possit. Nimirum de fideicommisso præsumto non solum cumulum legum opponere posses ex GOMEZIO *cit. tract. tom. I. cap. III. §. 23.* quæ omnes demonstrant, sicuti legata ita & fideicommissa ex præsumta voluntate testatoris coniecturis quoque eliceri posse & rata esse debere: quin PERILLVSTRIS DNVS A LVDOLFF *obseruatione quam supra laudaui* ex hac ratione eundem casum, quem antea ex CELEBERRIMI DNI LEYSERI *meditat. ad Pandect.* a ICtis Helmstadiensibus secundum nostra argumenta & sententiam pro substitutione directa explicatum & decisum esse, mentionem feci, pro substitutione fideicommissaria habendum & pronunciandum fuisse, existimat. Verum præterquam, quod neque ICtorum doctrinæ neque sententiæ iudicum semper inter se conuenire possint, adeoque vti in aliis quæstionibus ita etiam in hac subtilissima & difficillima quæstione dissensum nemo mirari possit, agnosco quidem lubentissime veritatem thesis & legum claram dispositionem, attamen, quod pace VIRI PERILLVSTRIS dixero, versamur non in thesi & in iure tantum, sed primario in facto, seu in ipsa eruenda voluntate,

Remotio obiectionum quarundam.

quæ in formula hac ambigua latet, agimus de coniecturis ipsis, seu earum argumentis præprimis, quibus præsumtam istam voluntatem vel de substitutione directa vel fideicommissaria disponentem inuestigare possimus. Itaque cum in quæstione sit, quando præsumenda voluntas de substitutione directa, quando de fideicommissaria, inde non potui asserere, quod dubia formula ideo sit habenda pro fideicommissaria, quia fideicommissum ex præsumta voluntate testatoris etiam vires habere debent; sed ex argumentis interpretationis coniecturas ipsas examinare & defuncti præsumtam voluntatem explorare debui. Enim vero si in pari causa euidentiores præsumtiones & coniecturæ appareant, sane iterum pro fideicommisso pronunciandum esse, non dubito; quippe præsumtiones fortioribus argumentis eliduntur; quale quid contigit in casu, quem memoriæ prodidit BESOLDVS *in Consultationibus, earumque part. IV. Consil. CXVI. Quæst. II.* in hoc enim ICti Tubingenses pro substitutione fideicommissaria pronunciarunt, cum contenta testamenti & antecedentia ac consequentia istam satis demonstrauerint, quod filius testatoris hæres esset institutus, doch so daß ihn allein seine legitima eigenthümlich folgen und zustehen, in übrigen aber des instituti hæredis ehleibliche Töchterlein, oder so viel er Kinder hinterlassen würde, ihnen substituiret seyn. Neque ad me pertinere videntur, quæ BAIERVS *in posit. ad ff. tit. de iur. codic.* adfert. Quod post introductos codicillos & fideicommissa non videat, quare homo sanæ mentis testamentum solenne facere debeat, omniaque esse hodie fideicommissa. At sana mente carere eiusmodi hominem, non credo,

credo, qui, ne actus eius pereat, ſeſe accommodat abſurdis ICtorum eorum mentibus, qui antiquas fabulas adhuc nimis ſuperſtitioſe adorant, ex quibus tamen ſæpe iudices ſunt deſumti, qui de noſtris actibus iudicant. Deinde hæc quidem ſententia rite ſe habet, verum tantum quoad ſolennia teſtamentaria, vt ſcilicet teſtamendum ſemper per modum fideicommiſſi valere poſſit, etſi ſolennia teſtamenti non ſint obſeruata, de quibus etiam tantum ſermo eſt BEYERO, non vero quoad materialia ſeu ipſam diſpoſitionem & voluntatem teſtatoris; cum varias poſſit habere cauſas, quare, hoc vel illud ita ordinare, ipſi lubeat. Itaque inde non poteſt colligi, ac ſi omne id, quod ambiguis verbis in teſtamento comprehenditur, ſtatim & per ſe habendum ſit pro fideicommiſſo; & ſi dubium in quadam propoſitione occurrat, quænam ſit voluntas defuncti, quid legare voluerit, non omnino poterit interpretari per fideicommiſſum. Sed illud modo ſequitur & expeditum eſt, quodſi teſtatoris voluntas vel per ſe vel ex coniecturis & argumentis perſpici poſſit, iſta tamen ob defectum ſolennium vel aliorum requiſitorum directo iure valere nequeat, iſta certa & ſeria voluntas nihilominus per modum fideicommiſſi firma eſſe debeat. Idem dicendum de ſubſtitutione compendioſa, numne hæc ex noſtra formula exſculpi poſſit? Namque ſupra iam iam monſtraui, eam ex omnium vnanimi conſenſu in paganorum teſtamentis poſt pubertatem aut aditam hæreditatem non niſi fideicommiſſi iure valere; adeoque eadem hic repetenda ſunt, quæ iam de fideicommiſſis diſſerui. Quibus tantum addo, quod iſta ſub-

 ſtitu-

ſtitutionis ſpecies ſolum ea ſit, in qua ſeria teſtatoris voluntas ſufficienter apparet, quod enixe velit, hæreditatem ad ſubſtitutum omni modo transferri debere, quandocunque, & ſine reſpectu an ante aditam an poſt aditam hæreditatem inſtitutus moriatur. Sed an tale quid teſtator voluerit, & ad dubiorum verborum declarationem hæc ſubſtitutio nihil facit: verum iſta mens teſtatoris ſecundum argumenta hac diſſertatione expoſita iterum eſt inueſtiganda.

De vſu huius disquiſitionis.

§. XXX. Vltimo loco monere debueram vſum præſentis disquiſitionis & intereſſe, vt loquuntur, controuerſiæ, an ſubſtitutio ſit directa an fideicommiſſaria; ne fruſtraneum laborem ſuſcepiſſe videar. Attamen breuitatis ſtudio, præſertim cum res aliunde imo & per ſe iam ſatis clara ſit, lectorem ablego ad ſyſtemata & compendia, ex quibus maxime ILLVSTR. DNI BÖHMERI *introduct. in Ius Digeſt. tit. de Vulgari & Pupill. Subſtit.* §. *3.* ordine & in compendio differentias recenſet. Ex his præcipue 2da & 3tia ad caſum, quem discuſſi ſpectat. Sed de ſecunda, nempe de detractione Trebellianicæ, cum latiorem deſideret deductionem, conſulas *citat. opuſculum* ILLVSTRIS DNI A LVDEWIG. Tertia vero differentia id inprimis efficit, quod ſubſtitutio directa exſpiret, ſimul ac hæres inſtitutus hæreditatem adierit, adeoque bona teſtatoris hoc modo fiant bona pleno iure ad hæredem pertinentia: itaque nullum dubium eſt, quin iterum ipſi libera, de iis legem dicendi, facultas competat, vel ſi hoc non fecerit, hæredes inteſtati, non vero ſubſtitutus, bona a teſtatore acquiſita percipiant.

§. XXXI.

§. XXXI. Sufficiant hæc ſpeciminis academici loco diſſeruiſſe de argumentis & notis ſubſtitutionis directæ, & exemplo vnico demonſtraſſe, quemadmodum in diiudicandis formulis dubiis, circa ſubſtitutionem adhibitis, mens præſumta teſtatoris iuxta normam interpretationis indagari debeat. Ex quo non ſolum probi iudicis officium ante oculos poſitum habes, ſed etiam patet, quam prouide ICtos agere, neceſſe ſit, in conſtruendis vltimis voluntatibus, ne nimis conciſe & preſſe loquendo elogia poſtrema efferant, neue iuſto magis futurorum iudicum interpretationi confidant; rariſſime enim fit, vt adhibita debita induſtria & prudentia præſumtam voluntatem inueſtigent, eaque plerumque dubiis eſt obnoxia, ex quibus deinde lites ad multos poſterorum gradus deſcendentes exoriri ſolent. Curent potius vt adiecta perſpicua declaratione & circumſcriptione omnia clara reddant; eumque in finem conſiderent ſedulo propria ſua verba, quibus mentem teſtatorum exprimere cupiunt, videantque quænam dubia ſophiſtica ex peruerſa etiam interpretatione ex iis fingi poſſint, iisque deſcriptionibus clarioribus obuiam eundi, curam habeant: ſic innumeræ lites & mala inde promanantia ſæpiſſime vnica vocula poſſunt euitari. Concluſio.

F I N I S.

COROL-

COROLLARIA.

I.

IVre Germanico ignoramus peculia, adeoque etiam omnes eorum diuiſiones & concluſiones ex iis deriuatas.

II. Hinc etiam vſusfructus ille patrius Iuris Romani nobis incognitus eſt adhuc hodie.

III. Qui vero apud nos parentibus competit vſusfructus, Germanico Iuri originem debet.

IV. Nimis temere imo falſe vulgo aſſeritur: quod reatus exuat omnem dignitatem.

Errata exſtantiora, reliqua ſuppleat dexteritas lectoris

p. 2. lin. 4. lege: hærede. p. 6. lin. 28 lege: verbo. p. 10. lin. 10. lege: loco. lin. 11. lege: ſignificatum. lin 22. lege: ac ſi. p. 11. lin. 5. lege: præcipue. lin. 25. lege: ſunt pro. p. 14. lin. 6. lege: circumſtantiis. p. 15. lin. 29. lege: fideicommiſſariæ. p. 16. lin. 16. lege: eæque. pag. 17. lin. 4. lege: eodem. pag 21. lin. 26 lege: reſipiſcens. p. 22. lin. 21. lege: hæreditatem. pag. 24. lin. 19. lege: vt.